

etiam potest retractari mandatum, vel consilium datum de actione, quæ indirecte tantum et per occasionem affert homicidium, et sic de reliquis.

SECTIO III.

Quando incurrant hanc irregularitatem cooperantes aliquo modo cum homicida.

4. *An ignorantia intentionis principalis operantis faciat in cooperante homicidium casuale.* — Constat ex superius dictis, cooperationem ad homicidium, præsertim si cum peccato sit, ad irregularitatem sufficere; explicandum vero superest, quæ cooperatio in præsentem sufficiat ad homicidium casuale. Primo enim sæpe potest homicidium esse casuale respectu cooperantis, etiamsi respectu principalis homicidæ voluntarium sit, ut si cooperator intentionem socii ignoret, sive invincibiliter, sive etiam vincibiliter; utraque enim ignorantia sufficit ad excludendum directum voluntarium; neutra autem hic sufficit ad excludendum indirectum; nam cum ignorantia invincibili talis intentionis potest esse voluntas cooperandi ad aliquam actionem, vel rixam, vel aliqualem vindictam, cum qua moraliter conjunctum est periculum homicidii. Interrogari autem potest, an ignorantia talis intentionis principalis operantis necessaria sit, ut respectu cooperantis homicidium non sit voluntarium, sed casuale. Videtur enim non esse necessaria, quia etiamsi cooperanti constet de alterius intentione, potest ipse habere voluntatem non occidendi, nec cooperandi ad homicidium; ergo quamvis sequatur, non erit illi directe voluntarium. Respondeo nihilominus, hoc ad summum procedere, quando cooperatio non est directa, infligendo, scilicet, aliquod vulnus, juxta superius dicta; at si cooperatio directa sit, censeo esse necessariam talem ignorantiam, quia non potest aliquis velle sic cooperari illi, quem scit tendere ad homicidium faciendum, quin directe velit cooperationem ad homicidium voluntarium; et hoc satis est, ut illa irregularitas ad ordinem pertineat homicidii voluntarii. Unum vero casum exciperem, videlicet, si talis cooperator comitaretur alium, animo et spe impediendi homicidium, quasi cooperans ad minus malum, ut majus evitet; nam, licet hæc intentio non excuset a culpa, excusat tamen a directa cooperatione ad homicidium voluntarium, in quoque homici-

dium inde subsequutum videtur respectu illius casuale.

2. *Objectio.* — Qui consulit minorem vindictam, si in eo non peccat, secuta morte non fit irregularis. — Dices: qui in eo casu consuleret minorem vindictam aut percussio- nem ad vitandum majus malum homicidii, nullam incurreret irregularitatem, etiam casualis homicidii, licet illud fuisset subsequutum. Imo etiamsi consuleret, ut potius mutilaret, quam occideret, non fieret irregularis, quia in neutro casu est culpa in consulente; nam consulere minus malum, licitum est; hæc autem irregularitas non contrahitur sine culpa; ergo pari ratione adjuvans ad ipsum actum intentione impediendi homicidium, quod alter habet in proposito, non incurreret aliquam irregularitatem. Patet consequentia, quia non minus adjuvat, qui consulit, quam qui aliter cooperatur. Fortasse aliquis respondebit negando assumptum, et asserendo etiam sic consulentem fieri irregularem, quia, sive peccet, sine non, cooperatur aliquo modo ad homicidium, vel mutilationem. Ego vero in primis assero, quando sic consulens nihil peccat, nullam irregularitatem incurrere, quia ex homicidio, quod ab alio committitur sine culpa sua, nunquam potest in ipsum irregularitas redundare, quia nec propter delictum, cum sit nullum, nec propter aliquod jus, quia nullum tale extat, et evidentius constabit ex dicendis in posteriori parte hujus disputationis.

3. *Potest hoc consilium absque culpa dari.* — *Discrimen inter consulentem absque culpa et cooperantem.* — Deinde assero, posse illud consilium ita dari, ut nulla culpa in eo sit. Necessesse est autem, ut solum detur in sensu conditionali: Si homicidium es facturus, potius mites, aut minori etiam vulnere contentus sis. Et rationes, quæ ad tale consilium suadendum allatæ fuerint, ea prudentia sunt afferendæ, ut non confirmant animum in proposito sumendi vindictam; tale enim consilium intrinsece malum est, ideoque honestari non potest ex extrinseco fine. Debent ergo rationes eo tendere, ut avertant animum ab homicidio, v. gr., si persuadeant non esse injuriam dignam tam gravi vindicta, vel proponant damna et incommoda, quæ ex tanto malo sequi possent. Ita denique, ut minor percussio permittatur potius quam suadeatur, nisi ad summum sub prædicto modo conditionato. Atque hinc etiam facilis est ratio, ob quam ex consilio sic dato nulla resultet irre-

gularitas, quia nulla est inductio ad mutilationem, vel aliam actionem periculosam homicidii, ut satis declaratum est. Colligitur item differentia inter sic consulentem et cooperantem exterius; nam sic consulens moraliter non influit in actum, quia conditionalis (ut aiunt) nihil ponit in esse; hic autem solum conditionaliter consulit; absolute ergo non inducit ad aliquid agendum, sed retrahit a majori malo. Qui autem cooperatur, reipsa et absolute influit in talem actionem; et ideo nunquam talis cooperatio licita est, quia, sicut non sunt facienda mala, ut veniant bona, ita non sunt agenda minora mala, ut in aliis vitentur majora. Et hæc est differentia clara inter agentem et consulentem, quod agens hoc ipso, quod cooperatur ad malum, jam agit malum, et eligit minus malum a se efficiendum, ut evitet majus malum, vel damnum alterius; qui autem consulit, non eligit, sed solum docet (quod verum est) ex duobus malis minus esse eligendum, supposito, quod alterum eligendum sit, quam suppositionem ipse non consulit, sed persuadere potius, si posset, neutrum fieri aut eligi.

4. *Discrimen aliud inter consulentem et cooperantem.* — Rursus hinc colligitur alia differentia notanda inter consulentem et cooperantem, quæ præcedentem doctrinam magis declarat. Nam consulens, etiamsi non tantum minus malum, sed etiam absolute malum ipsum, ut vindictam, vel quid simile consulat, si de facto non inducit alium in hanc pravam voluntatem, quia jam erat in tali proposito, neque etiam accendit, vel confirmat tale propositum, non incurrit irregularitatem, ut supra dictum est; cooperans vero, quamvis fortasse ob concursum ejus non inferatur majus nocuum, quam sine illo fieret, nihilominus manet irregularis. Ratio differentiæ est, quia consulens non influit immediate in homicidium, sed media voluntate occidens; et ideo si de facto non immutat talem voluntatem, ejus influxus non attingit homicidium, sed frustratur, ideoque non participat irregularitatem ejus; cooperatio vero immediate attingit opus ipsum, ex quo sequitur mors alterius; et ideo quamvis voluntas et actio principalis agentis eadem sit, et sufficiens ad eundem effectum, nihilominus cooperatio alterius hic et nunc simul influit, quod satis est, ut participet homicidium, et consequenter ut incurrat irregularitatem.

5. *Cooperatio ad homicidium duplex in*

genere. — *Remota.* — Jam vero inquireret aliquis, quot modis contingere possit hæc cooperatio. Respondeo esse multiplicem, et in particulari infinitis fere modis posse variari. Generatim vero distingui potest; nam quædam est cooperatio remota, alia proxima. Remote concurrunt primo qui dat instrumenta homicidii, ut arma, ignorans, et non intendens rixam, vel percussio- nem alterius. In quo modo cooperationis, et in omnibus sequentibus semper est in particulari consideranda ignorantia, an fuerit invincibilis, vel in alio titulo actio illa dandi arma possit excusari a culpa; nam, si hoc habeat, etiam excusabit ab irregularitate. Distinguendum item videtur inter arma defensiva, et offensiva; nam, licet utraque præbendo possit incurri irregularitas, facilius tamen ex offensivis, quia magis ordinantur ad damnum inferendum, quod est per se injustum, defensio autem ex se licita est. Secundo concurrunt remote, qui conficit, v. gr., potionem mortiferam, ex qua tandem sequitur homicidium. Tertio, qui applicat ligna vel parat ignem, in quo alius est comburendus.

6. *An qui parat ligna ad comburendum aliquem post mortem, fiat irregularis.* — *Notandum.* — Circa quem modum quæri potest, si homo non est vivus comburendus, sed postquam est mortuus, illud sufficiat ad irregularitatem incurrendam, si nulla alia cooperatio ad ipsam occisionem requiratur. Aliqui absolute sentiunt in eo casu contrahi irregularitatem, Nicolaus Plovius, tract. de Irregularitate, reg. 15, ait enim, clericos, qui deferunt ligna ad comburendos hæreticos, etiamsi id faciant causa indulgentiarum, irregulares esse; ergo a fortiori id dicet de ministrante ligna ad iniquam combustionem. Alii vero distinguunt; nam vel ignis paratur, et applicantur ligna ante hominis occisionem, vel post illam; in hoc posteriori casu aiunt non contrahi irregularitatem, quod per se satis clarum est, quia illa non est cooperatio ad homicidium, sed ad combustionem cadaveris. In priori vero casu dicunt incurri irregularitatem. Quod videri potest difficile. Nam etiam tunc non cooperatur quis ad mortem, sed ad combustionem, quæ futura est post mortem, quæ actio non est fundamentum irregularitatis; ergo ille ordo impertinens est, quandoquidem ratione illius non sequitur cooperatio ad homicidium. Unde D. Anton., 3 p., tit. 28, c. 2, § 5, melius inquit, tunc hos contrahere irregularitatem, si materia illa cooperata est

ad mortem; unde, ait, si non est cooperata, quia jam mortui erant, quando ligna attulerunt, vel antequam accenderetur ignis in illa materia, non sunt irregulares. Idem autem erit eadem ratione, etiamsi ignis fuerit ante accensus, si nihil ad mortem cooperatus est, ut egregie Navarr. sensit, num. 217, dicens: *Si ex hoc cooperatus est ad occidendum, alias non.* Et ideo concludit, quoties homo prius occiditur, quam comburatur, illam non esse cooperationem; quando vero quis comburitur vivus, tunc recte ait necessarium esse ad vitandam irregularitatem, quod ligna non projiciantur in ignem, donec homo sit ab igne occisus. Idem Armilla, verb. *Irregularitas*, num. 64, et Sylvest., *Homicidium*, 3, quæst. 7, vers. 10. Qui sine fundamento addit, seclusa cooperatione ad homicidium, vel non incurri irregularitatem, vel Episcopum posse in ea dispensare. Nam certum est non incurri, seclusa cooperatione; ex hypothesi autem quod incuratur, gratis dicitur posse Episcopum dispensare magis in hoc casu, quam in aliis homicidiis casualibus. De quo videri potest Navar., num. 240, in fine. Consideratione autem dignum est, quando ligna congeruntur ante occisionem, an ea occasione acceleretur hominis strangulatio, quæ non fieret, nisi ignis esset paratus; non fuisset autem paratus, nisi alter ad congreganda ligna cooperatus esset. Nimis tamen videtur remota hæc causa accelerationis, et regulariter vel nulla est acceleratio ob hanc causam, vel certe non potest moraliter cogitari, maxime in combustionem justa, quæ fit auctoritate publica; in privato autem homicidio posset facile illa actio excitare ad occisionem majori animo, vel celeritate faciendam; et ideo tunc non facile excusarem ab irregularitate illum, qui hujusmodi cooperationem ante homicidium peractum tribueret.

7. *De proxima cooperatione.* — Proxime censetur cooperari primo, qui immediate applicat causam adjuvantem ad mortem, ut qui daret infirmo cibum aliquem cooperantem ad mortem ejus, quæ sine illo fortasse vel sequuta non fuisset, vel non tam cito. Secundo, qui ad ipsammet actionem occisivam habet aliquem concursus. Qui duplex esse potest, scilicet, directus, ut percutiendo, vel infligendo vulnus. Vel indirectus, ut detinendo alium ne fugiat, vel assistendo occisori, occisoremque sua præsentia tuendo, aut animando, ut supra dictum est. Differentia vero inter hos duos modos est, quia ex coo-

peratione indirecta, seclusa directa intentione homicidii, solum sequitur irregularitas homicidii casualis; cooperatio autem directa non solum ex formali intentione homicidii, sed etiam ex modo realis cooperationis ad actionem proxime sufficientem ad mortem, potest inducere irregularitatem homicidii voluntarii. Casualis autem erit, si et formalis intentio homicidii desit, et cooperatio, quatenus a directa voluntate procedit, ad mortem non sit per se sufficiens.

An cum plures ex repentina occasione cum aliquo rixantur, et illum interficiunt, omnes maneat irregulares.

8. *Quorundam sententia.* — Occurrit vero dubium commune, si plures cum aliquo rixentur non ex proposito occidendi, sed ex repentina occasione, et ordinario modo, et illum interficiant, an omnes maneat irregulares. In qua dubitatione Doctores aliqui sub disjunctione respondent; aut enim mors illa causata est ex multis vulneribus, quorum nullum per se esset lethale, omnia vero simul mortem inferant; et in eo casu omnes, qui vulnus aliquod intulerunt, in dubio manent irregulares, quia omnes illi cooperantur ad mortem. Item quamvis positive non constet singulos inflixisse aliquod vulnus, imo contrarium verisimilius sit, quia, v. gr., major fuit numerus hominum, quam vulnorum, si tamen discerni non possit, quis inflixit vulnus, necne, omnes etiam censentur manere irregulares propter dubium, quia alias omnes fierent immunes ab irregularitate, quod est absurdum. Sequela patet, quia non est major ratio de uno, quam de alio. At vero si de aliquo eorum constet nullum inflixisse vulnus, aiunt, illum non manere irregularem, quia de facto non est cooperatus ad mortem, quanquam id facere tentaverit. Aut causatur mors ex uno vulnere lethali, vel cum aliis non lethalibus, vel sine ullo alio; et tunc si constet quis inflixit lethale vulnus, clarum est illum manere irregularem; si vero de nullo in particulari constet, ut quia jactu lapidis vulneratus est, et tunc omnes manent irregulares, propter rationem supra tactam. Si vero constet aliquos non læsisse, vel non vulnere lethali, illi censentur irregularitatem non incurere. Ita sumitur ex c. Significasti, 2, de Homicidio, ubi in quodam simili casu Pontifex significat, si constare possit vulnus ab aliquo inflictum non esse lethale, percutien-

tem non esse ab altaris ministerio removendum. Quem textum ita intellexit Hostiensis in Sum. tit. de Homic., § Quæ pœna, vers. *Sed numquid omnes*, ubi hanc tenet sententiam. Idem significatur, in cap. ult., 23, q. 8. Nam licet sine distinctione dicatur, eos, qui vulneraverunt occisum, manere irregulares, tamen Glossa ait, illud esse propter incertitudinem, quia nescitur quo ictu perit, indicans, si constiterit, solum illum manere irregularem, qui lethaliter percussit. Et idem sentit Turrecremata ibi, dum addit, omnes esse irregulares, quando nescitur quis inflixerit vulnus lethale, juxta l. Item Mela, § Sed si plures, ff. Ad legem Aquiliam.

9. *Vera sententia.* — Dico igitur, in eo casu omnes rixantes cum occiso manere irregulares. Probo primo generatim, quia omnes cooperantur ad mortem, vel directe, vel indirecte, et non sine culpa: ergo. Secundo sigillatim discurrendo per omnia membra supra posita, et primo si omnes vulnerent, licet nullus ad mortem, certum est omnes manere irregulares, vel ex homicidio voluntario, si illud intendebant, vel saltem ex casuali, si fuit præter eorum directam intentionem. Hoc convincit ratio facta, et textus in dicto c. ult., et est communis sententia Innocentii et aliorum in dict. c. Significasti. Et sumitur ex Bart. in l. ult., ff. de Sicariis; Sylvest., *Homicidium*, 3, quæst. 6, et omnibus. Hinc vero a fortiori inferitur, etiamsi unum vulnus sit lethale, et non reliqua, omnes, qui inflixerunt vulnus, esse irregulares. Probat primo ex dict. c. ult., quod indistincte loquitur. Et præterea expendo verba illa, *secundum statuta canonum*, quæ posita videntur propter constituendam differentiam inter jus civile, et canonicum; lex enim civilis contemplatur ictus uniuscujusque in simili rixa, ut solum illum tanquam homicidam puniat, qui lethaliter percussit, juxta l. ult., ubi Bartholus, ff. de Sicariis. Jure autem canonico, ut in dicto textu insinuat, non fit hæc consideratio, sed omnes habentur ut homicidæ. Accedit doctrina Bartholi eodem loco, eos, qui inflixerunt vulnera de se non lethalia post inflictum lethale vulnus ab alio, ut homicidas puniri etiam a jure civili, quia vulnera, quæ alias non essent lethalia, in corpore sic vulnerato et affecto lethalia sunt; ergo de his dubitari non potest, quin incurrant irregularitatem, cumque vix possit moraliter constare, an vulnus fuerit prius vel postea inflictum, vel ob hanc incertitudinem incurretur

irregularitas. Rursus vero addit idem Bartholus, et probat ex civili jure, etiam eos, qui prius percusserunt non lethaliter, quamvis non puniantur ut homicidæ, puniri tamen tanquam præstantes auxilium homicidæ; hoc autem satis est jure canonico ad incurrendam irregularitatem, ut ex supra dictis constat; ergo. Unde hæc est ratio a priori hujus partis, quia sive vulnera præcesserint, sive sequantur, reipsa semper juvant ad mortem, et subjectum reddunt debilius ad resistendum vulnere lethali, et ut minimum accelerant mortem. Denique incredibile est, si omnes non lethaliter percutiant, et sequatur mors, omnes manere irregulares propter collectionem, et quando unus gravius, et lethaliter percussit, solum ob eam causam alios omnes excusari ab irregularitate.

10. *Corollarium secundum.* — Maioli dictum improbat. — Quin potius addo ulterius, etiam eos manere irregulares qui nullum vulnus infligunt. Quod sentit Gloss., in dict. c. ult., citans c. Si quis post, 50 d., et c. Præsentium, et cap. Continentia, de Cleric. percussor. Ratio vero est, quia, licet illi non vulneraverint, aliquod tamen auxilium, et cooperationem dederunt homicidio. Nam comitari homicidam eique assistere ad maleficium faciendum, sufficit ad irregularitatem contrahendam, ut supra cum communi sententia dictum est. Imo etiam jure civile hic punitur, non quidem ut homicida, sed ut cooperador ad homicidium. Et hoc etiam significatur in jure canonico in dict. c. ult.; nam de his, qui impugnabant, et non vulneraverunt, dicitur, *similiter pœniteant*, utique ut delinquentes in homicidio, quamvis non plene ut homicidas; id vero satis est ad irregularitatem incurrendam, quia in hac pœna non est inæqualitas, ut jam dixi. Neque obstat, quod irregularitas factum requirit, c. ult., 45, quæst. 1, nam hic jam intervenit factum, nempe homicidium, cui præbetur favor et auxilium. Imo addit Maiolus, lib. 5, c. 48, § 4, num. 7, etiam eos, qui juvabant occisum, manere irregulares, si erant clerici. Et citat Raymundum, tit. de Homicidio, vers. *Quod si plures*, et c. Petitio, de Homic. Sed hic textus nihil probat, ut latius ostendam disputatione sequente; nam ibi agitur de homicidiis factis ob justam defensionem, et potius ad incurrendam in eo casu irregularitatem necessarium esse dicitur, ut clericus, qui juvat se defendentes, suis manibus occidat, quod quomodo intelligendum sit, infra dicam;

inde tamen potius sumitur argumentum, per se loquendo non manere irregulares illos, qui juvabant occisum. Quod verum esse credo cum limitatione, nisi provocaverint, vel induxerint eum ad pugnandum, aut fuerint proxima causa, ob quam talis rixa fuerit excitata; nam tunc eis saltem indirecte imputatur homicidium; sicut supra dicebamus fieri irregularem mandantem, si mandatarius occidatur; eadem enim ratio in præsentem militat.

11. Tandem infertur ex dictis, etiamsi vulnus inflictum unum tantum sit, illudque lethale, omnes impugnantem occisum fieri irregulares, non solum quando incerta est persona percussus, quod est indubitatum, sed etiamsi certa sit, quia alii non manent irregulares propter incertitudinem, sed propter cooperationem. Unde quod dixit Nicolaus Plovius, tractat. de Irregular., regul. 28, in eo casu, quando non constat de interficiente, non manere omnes irregulares, sed unumquemque relinquendum esse conscientie suæ, mihi improbabile est; nam in foro conscientie existimo omnes esse irregulares, ut ostendi, et idem opinor in foro exteriori, quando de omnium delicto quoad rixam et mutuum favorem constat. Secus vero esset, si constaret homicidium esse factum ab uno ex quatuor hominibus, v. gr., ut quia ex domo, in qua erant, lapis projectus est, et a quo illorum jactus fuerit, ignoratur, nullusque illorum convinci potest. Tunc enim in foro exteriori nullus repelli potest ut irregularis, quia nullus in particulari præsumitur malus, qui non probatur; et melius est unum nocentem tolerare, quam tres innocentes damnare, ut recte notavit Maiolus, lib. 5, cap. 45, § 4, n. 9. Et in eo tantum casu posset procedere sententia Plovii, quod monendi sunt, et relinquendi conscientie suæ, non vero in alio, quem tractamus.

12. Cap. Significasti, 2, de Homicidio, exponitur. — Neque contra dictam resolutionem obstat cap. Significasti, supra citatum, quia in illo non agitur de pluribus rixantibus, sed de casu, in quo unus aliquem percussit, et postea ipso non vocante, nec consulente, nec volente, alii superveniunt et illum occidunt, qui casus est longe diversus; nam ille, qui primus percussit, non fuit cooperatur cum aliis, sed habuit per se actionem omnino diversam; et ideo merito dixit Pontifex, gravitatem ejus esse per se spectandam ad ferendum judicium de irregularitate contracta ab illo primo percussore, nam quod postea

supervenit, illi non imputatur, cum sit extra ejus voluntatem directam et indirectam, ut supponitur. Neque ex utriusque actionis concursu fit moraliter una, ut totus effectus singulis percussentibus imputetur, quia respectu primi percussentis concursus fuit mere accidentarius et fortuitus. Statim autem occurrebat quaestio, an decisio illius textus hoc modo intellecta, generaliter et sine limitatione procedat, an vero aliqua moderatio adhibenda sit, sed tractabitur melius in fine hujus disputationis.

SECTIO IV.

Utrum per omissionem obviandi homicidio incurratur hæc irregularitas.

1. Difficultas est de omissione pure privativa, id est, quæ non habet positivum influxum physicum aut moralem in homicidium, qualis esset occultare arma alterius, quibus se defenderet, vel permittere homicidam, ut armis meis utatur ad occidendum alium. In his enim casibus et similibus non est dubium de irregularitate, ut ex dicendis a fortiori constabit. Sed dubium est, quando mere privative quispiam se habet, videndo alterum occidi, et non impediendo, cum possit, et debeat. Hæc namque duæ conditiones supponendæ sunt, alias non est moralis ommissio; si enim non possum, clarum est nullo modo esse mihi voluntarium; si autem non teneor, mihi non imputatur tanquam causæ, ut constat ex 4. 2, quæst. 6.

2. Prima opinio. — Secunda opinio. — In casu igitur moralis omissionis sunt variae opiniones. Prima absolute affirmat contrahi irregularitatem, quæ solet tribui Sylvest., Angel., et aliis Summistis, sed generalius loquitur Navarr., in cap. Non inferenda, 23, quæst. 3, num. 48; idem sentit Socinus, in cap. Ad audientiam, de Homicid., quæst. 95, n. 338 et sequent., et quæst. 97, n. 353; fundantur in dicto cap. Non inferenda, et cap. ult., 23, quæst. 3, cap. Facientis, 86 dist., cap. Sicut dignum, § Illi, de Homicid., et in ratione textus, in cap. Quantæ, de Sentent. excomm., in 6. Quia favere censetur, et consequenter homicida esse, qui manifesto homicidio desinit obviare, cum possit et debeat. Secunda sententia absolute negat in eo casu irregularitatem incurrere. Ita indicant Innocentius, in cap. Petrus, de Homicid.; Antonin., 3 part., tit. 28, cap. 2, in princ., et in Summ., cap. 3 de Irregularitat.; et tenuerunt Raymundus,

Albericus, et alii, quos refert Summa Confessorum, lib. 2, tit. 4, quæst. 32. Fundari possunt, quia nullo jure lata est hæc irregularitas pro non impediendo, sed solum pro agente aliquo modo, ut patet cap. Si quis viduam, dist. 50, cap. 2 de Cleric. pugnans in duell. Distinguendum vero est de duplici obligatione charitatis, quæ communis est omnibus proximis, et justitiæ commutativæ, quæ nascitur ex officio prætoris, v. gr., vel alio simili, vel ex alio justo pacto.

3. Prima conclusio. — Duæ limitationes Maioli examinantur. — Prima. — Corollarium. — Dico ergo primo: quando quis solum peccat contra charitatem, non impediendo homicidium, non fit irregularis; ita tenent auctores secundæ sententiæ, et prioris ita sunt limitandi. Et sane Navarr. ita sentit in Summa, cap. 27, num. 231 et sequent. Et in dict. cap. Non inferenda, num. 35, nec aliud sentit Sylvest., verb. Homicidium, 3, q. 5, § 5. Ratio est illa sæpe repetita, quod talis irregularitas non est in jure expressa. Declaraturque in hunc modum, quia ille tunc nullo modo cooperatur ad homicidium; ergo nec homicida est; ergo non incurrit, etc. Antecedens patet, nam qui quovis modo ad homicidium cooperatur, vel physice, vel moraliter, contra justitiam peccat; ergo e contrario, qui non peccat contra justitiam, non potest dici moraliter cooperari ad homicidium, et consequenter nec irregularis fieri. Unde quoties jura vocant homicidam eum, qui non subvenit proximo in simili periculo constituto, vel qui non præbet cibum fame morienti, homicidium late vocant omnem culpam commissam circa debitam conservationem vitæ proximi; et in hac parte conveniunt fere auctores. Maiolus vero supra, § 5, n. 2, duas adhibet limitationes. Prior est, nisi præter omissionem defensionis exteriora signa adhibeantur, quibus factum approbari ostendatur. Sed hoc tunc erit verum, quando talia signa ita fiunt, ut homicida favorem sentiat, et animosior fiat ad committendum delictum, quia tunc jam non est sola ommissio, sed cooperatio aliqua. Possunt tamen illa signa fieri sine hoc effectu, ut si videns factum gauderet et exterius rideret, vel alicui tertio diceret, sibi placere, nihil sciente vel advertente ipso homicida; tunc enim cessaret omnis cooperatio, et consequenter dicta limitatio, quantum est ex vi illius actionis. Unde a fortiori sequitur, irregularem fieri, qui mandat vel consulit alicui, ut alium non tueatur ab homicidio,

quia licet hic posterior contra charitatem tantum peccet, et ideo non fiat irregularis, prior peccat contra justitiam respectu occisi, et positive operatur ad mortem ejus. Idem probabilissime sentit Maiolus supra de illo, qui fores domus suæ claudit fugienti, et ideo occiditur; quia non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam videtur ocludere alteri viam necessariam ad fugiendam mortem, estque illa moralis quædam detentio et cooperatio.

4. Secunda limitatio. — Altera limitatio est, nisi ommissio ex dolo procedat, quæ fuit opinio Angeli, verb. Homicidium, 4, § 17, et per dolum videtur intelligere desiderium, ut alius occidatur, argument. cap. Quantæ, de Sentent. excomm., ubi dicitur, in sententiam canonis incidere, qui facinori percussoris clerici, cum possit, desinit obviare; ubi Abbas, num. 3, illam interpretationem juris extendere videtur ad omnem pœnam ipso jure latam; et addit, in foro exteriori præsumi dolum eo ipso, quod aliquis est præsens, et potest obviare, et non obviat. Sed quidquid sit de foro exteriori, in quo fortasse ille non tantum præsumetur omittens, sed habens societatem occultam cum occisore, argument. cap. Sicut dignum, § Illi etiam, de Homicid., et cap. Facientis, 86 dist., nihilominus in foro conscientie, si revera tantum intercessit ommissio contra charitatem, quamvis illa fuerit voluntaria ex interno odio, et desiderio ac gaudio mortis proximi, nulla incurritur irregularitas, quod sentiunt alii auctores citati. Et favet cap. ult., 23, quæst. 8, ibi: *Qui vero nec eum impugnabant, nec vulnerabant, neque auxilio, vel consilio cooperatores fuerunt, sed tantum adfuerunt, extra noxam sint.* Quamvis enim Glossa id exponat de illis, qui ita adfuerunt, ut impedire non possent, quod est verum loquendo de noxa apud Deum, tamen, cum textus absolute loquatur, recte intelligitur generaliter, et de noxa canonica, id est, quæ per irregularitatem punitur. De quo videri potest Decius in leg. Culpa caret, ff. de Regulis juris. Faciunt etiam quæ tradit Bartholus, in l. 4, § Sed in eo, ff. Ad Senatusconsult. Syllanian., ubi ait, etiam jure civili hunc non teneri de homicidio, et alia quæ citantur in Additione ad Abbatem, in dicto cap. Quanta.

5. Secunda conclusio. — Dico secundo: quando intervenit obligatio ex justitia, tunc per omissionem defensionis incurritur irregularitas. Ita tenet Summa confessorum supra,